

Quae hunc numerum pedum excessere terrestria, ut plerique uermes, non infra duodenos habent, aliqua uero et centenos. Numerus pedum impar nulli est.

Solidipedum crura statim iusta nascuntur mensura, 260 postea exporrigentia se uerius quam crescentia. Itaque in infantia scabunt aures posterioribus pedibus, quod addita aetate non queunt, quia longitudo superficiem corporum solam ampliat. Hac de causa inter initia pasci nisi summissis genibus non possunt nec usque dum ceruix ad iusta incrementa perueniat. (49). Pumilionum genus in omnibus animalibus est, atque etiam inter uolucres.

CIX. Genitalia maribus quibus essent retrorsa 261 diximus. Ossea sunt lupis, uulpibus, mustelis, uiuerris, unde etiam calculo humano remedia praecipua. Vrso quoque, simul atque expirauerit, cornescere aiunt. Camelino arcus intendere Orientis populis fidissimum. Nec non aliqua gentium quoque in hoc discrimina et sacrorum etiam, citra perniciem amputantibus Matris deum Gallis. Contra mulicrum paucis prodi- 262 giosa adsimulatio, sicut hermaphroditis utriusque sexus, quod etiam quadripedum generi accidisse Neronis principatu primum arbitror. Ostentabat certe hermaphroditas subiunctas carpento suo equas, in